

Vulgatissima in hortis gramineis ac pratis. Floret
Junio, Julio ☉.

Ufus nullus patet.

1305. CREPIS, QUALIS Linnaei? an neglecta? an Sibirica? an potius picris?
Pro interim *Crepidem dubiam* vocabo!

Est *Crepis Halleri* n. 31. Enumerat stirp. helv. sub hac definitione: *Crepis* foliis ad terram pinnatis, superne amplexicaulibus, pinnatis, hastatis.

Dens leonis III. Tabern. figura bona, atque nostrae exacte conveniens.

An Hieracium V. Schwenkf. p. 106.?

Radix dura, multum fibrosa, transversa. Caulis rigidus, angulosus, sinuatus, ramosus, rami alterni, cauli similes, iterum ramosi; inferiores superioribus longiores, omnes caulem longitudine superant, virides, ut truncus: tum hi, tum ille floribus terminati subumbellaribus, qui inaequalibus, et non nunquam ramosis insident pedunculis (unifloris, villosis, striatis) infra caulis hirsutus, ac asper, supra minus asper, non hirsutus, sed rami glabri. Genicula non vidi. Folia per totum caulem diffusa, ad basim plura, alterna omnia, infima longissima, semipedem, pedemque longa, sensim longitudine, atque latitudine imminuuntur, ut suprema sint minima, linearia, nec hirsuta, nec dentata, solum uno alterove pari auricularum ad basim, ubi plerumque latiora, provisa, ac hinc figuram hastaeformem repraesentant: tum haec, tum reliqua omnia
nervo

nervo mediano, hirsuto, crasso, albo postorius, antorius carina simili, sed laevi divisa; basim caulis occupantia, versus basim suam extenuantur in petiolum alatum, versus apicem uncias duas, tres lata, ad basim solum unciam unam, aut dimidiam: inaequaliter dentata, sinuataque, lyratis analoga, venosa, hirsuta ubique, praecipue vero ad nervos, ac oras. Ramea sessilia, inferiora superioribus, ut dixi, latiora, longioraque, ex lata basi in apicem tenuem extenuata, adeoque lanceolato-linearia, ibique dentibus angustis aliquot notata; caeterum integerima, obscure angulosa, glabra ubique, ad oras, ac nervos solum aspera, non hirta, laete viridia, atque succulenta. Flores terminales, subumbellares. Pedunculi uniflori, sursum versus crassiores, rarius bi aut triflori, ad divisuras stipulis lanceolatis, suffulti. Calyx ex viridi albidus, imbricatus, squamis lanceolatis, non asperis, non hirtis, sed villo laevi, albido obductis factus, in flore constitutus, cylindricus, quasi simplex (nempe squamae omnes sibi appressae) non sulcatus, defloratus ad basim gibbus, ad apicem connivet sulcatus evadit, squamae inferiores, a reliquis secedunt, calycem calyculatum mentiuntur, eo modo, ut in Crepide picridi videre est. Corolla unciam lata, unamque longa, adeoque calycem bis superat: corollulae uniformes, ligulatae, 5-dentatae, sulphureae, hermaphroditae omnes. Antherae, styli, tum stigmata bifida flavae. Receptaculum nudum, scrupis exasperatum. Semina oblonga, bruna. Pappus plumosus, candidus.

An a praecedente distincta?

An varietas *Crepidis biefinis*?

In pascuis inveni prope pagum Höfgen, etiam inter dumeta, tum ibidem, tum ad Leerbeutel. Floret Julio, Augusto.

Ufus latet.

1306. *CREPIS QUALIS?* an cum dubia nostra eadem? an Sibirica? vocabo *variabilem*; quia statura, et habitu saepius variat.

Radix praemorsa, fibris crassis longis barbata, quantum video! plus quam annua. Caulis erectus, pedem sesquipedem longus, plus minus angulosus, sulcatus; sulci ac anguli laeves, ad basim uno alterove geniculo divisus, atque ibidem rubescens, caeterum laete viridis, infra hirsutus, quae hirsuties vix ultra tertiam partem longitudinis ascendit: de reliquis caulis, non pilosus, asper tamen, utpote, quia anguli brevissimis spinulis obsessi, quae solum in trunco, fere nunquam in ramis observantur, qui glaberrimi, et laevissimi, saltem plerumque, praecipue in vigore constituta planta, ubi adolescit magis, accidit non nunquam, quod suprema pars caulis, quae alias polita, et glabra, ut rami, spinulis exasperetur, communiter vero se habent, ut dixi. Raro, et non nisi in suprema parte ramosus, rami alterni, trunco altiores, ad finem bifidi, in pedunculos abeunt, quorum quivis flore unico, ut truncus solet, terminatur: caeterum truncus teretiusculus, ad basim saepe aliquantulum compressus. Folia diversi generis, infima ultra dimidiam spithamam longa, oblongo-